



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem

Scardeone, Bernardino

Venetiis, 1542

Quam dignis, & magnificis titulis decorentur in sacris literis uelatae
uirgines Christi cap. vii

urn:nbn:de:hbz:466:1-30433

DE SACRIS VIRG.

nunc aut contra muris & claustris quasi ui custodiuntur, ne corruptoribus pateant, Vide quanta diuersitas temporum, & morū: tunc illis nō licebat arbitrati suo caste degere, nunc uero nostris non licet ex sua libidine impudice quicquam facere.

Quam dignis, & magnificis titulis decorentur in sacris literis uelatae uirgines Christi.

Cap. VII.

Cant. 2

Apoc. 3

Esa. 62

Cant. 4

Cant. 4

Ibidem

EIa modo prudentes uirgines quæ asiduo certamine sexum acriter oppugnatis, & mundum deseruistis propter Christum perstate uigiles, & lampades uestras oleo concinnate largissime, opperientes aduentantem iam iam sponsum qui cum unâ ingressurae estis ad nuptias, is blandis uos promissis, & dulcibus his uerbis inuitat. Veni, inquit, sponsa mea, ueni speciosa mea, ueni columba mea, Accipe coronam, quam tibi præparauit. Ecce uenio cito, nemo accipiat coronam tuam. Quæ nam est hæc corona quæso, quæ auferri uetat, nisi tua ipsa uirginitas: quæ te domini coronam esse facit, de qua legitur. Et eris corona gloriæ in manu domini. Quum itaq; corona domini dicaris propter decus, & sublimitatem uirginitatis, caue ne quid cominitas indignum, aut indecens capite saluatoris. Præterea scriptum est de te in sacris literis. Hortus conclusus soror mea sponsa, custodi ergo fructus tuos, nō exurgant in eo spinæ, aut tribuli, sed uuæ florentes emittant odorem suum. Non irrumpant latrunculi, qui destruant sepem pudoris tui, & surripiant delicias fructuum tuorum horto conclusas. Diceris quoq; fons signatus, nemo ergo conturbet aquam cisternæ tuæ, ut ualeas pulchritudinem tuam, & decorem tuum in uitrea claritate fontis huius asidue speculari. Puteus etiam nuncuparis aquæ uiuæ: caue ne uiui latices conuertantur in sætentes lacunas, et puteus gelidus in stagna coquentia

phlegetontis inferni. Vocaris insuper paradifus: uide
 quaſo ne fit in ea arbor letalis, et dolofa, de qua anti- *Ibidem*
 qui ſerpentis te calliditas aſtuta decipiat: ut guſtata inde
 uetiti mali dulcedine, ſimilis Eua pereas, atq; incurras
 ſimul cum illa maledictionem, ut & tu in doloribus pa-
 rias. Cæterum quum ſuper omnia appelliteris ſponſa
 domini dilecta: provideas diligenter, ne quando tua
 culpa, à quo tantopere diligeris, repudiata, turpius con-
 fundaris. Item quum & columbæ candidiſſimæ aſſi-
 mileris: caue ne nigerrimum transformeris in coruū. *Cant. 2*
 Et quando etiam porta domini clauſa diceris: proſpice
 ne quis aperiat, ne quis irrumpat, præter dominum, pe- *Ezech. 44*
 nes quem clauis illa Dauidica manet: qua aperit, et ne-
 mo claudit, claudit, & nemo aperit. Tu deniq; dum uir-
 go es, dum intacta manes: tota pulchra es, tota ſpecioſa *Apoch. 3a*
 tota formoſa: caue propterea, ne quid fit tibi in oculis
 petulans, in ore procax, in geſtu pudendū: ſed ipſe oris
 habitus, atq; motus, inceſſusq; atq; totius corporis ſpe-
 cies ſimulachrum fit mentis, ac figura interioris pulchri-
 tudinis: quæ neq; exteriori cultu, neq; adulterinis colori-
 bus, indiget. Hoc faciens tu quidem ex altaberis cum
 angelis in cœlū: ſi uero contra feceris (quod Deus auer-
 tat) extruſa de numero prudētum demergeris cum dæ-
 monibus in abyſſum ſempiternam: & quāto ſublimior
 fuerit aſcenſus tuus antea ad cœlum, tanto pernicioſior
 poſtea lapſus tuus erit ad inferos. Hæc ad honeſtas, &
 ſanctas uirgines in præſenti dicta ſufficiant: reſtat deinceps
 in inceſtuofas, ac repudiatas à Chriſto adulteras
 ſtilum uertere: ut pro integritate pudoris, quæ ſemel pe-
 dita reparari ultra nequit, integritatem mentis reddant:
 quæ per poenitentiam, & effuſionem lachrymarum fa-
 cile reſtituitur.

In inceſtuofas ueſtales: qua poena afficerentur,
 quum poſt profeſſionem uirginitatis
 redderentur inceſtæ. Cap. VIII.